

minum, et non communia cum brutis etiam materialiter, et tamen ad naturale jus maxime pertinent.

7. Ad hæc vero responderi potest juxta civilia jura jus gentium re vera esse jus naturale, et ita sæpe in jure civili vocari, ut patet in leg. *Bona fides*, ff. *Depositum*, et § *Et quidem*, et § *Singulorum*, Instit. de Rerum divisione, et § penult. Instit. de Jure natur. Quapropter non erit absurdum in hoc sensu vocare præcepta commemorata, imo et omnia Decalogi de jure gentium, quia per hoc non negatur esse de proprio et stricto jure naturali, sed indicatur peculiaris modus, et quasi proprietas talis juris respectu humanæ naturæ, et ita contentio tota versabitur circa solum usum vocis, vel necessitatem, aut utilitatem illius distinctionis in illo sensu. Sed licet hoc aliqua ex parte ita sit, nihilominus secunda ratio facta retinet suam vim et ostendit improprie valde dici dari jus naturale commune brutis. Et præterea (ne contentio sit de vocabulo) simpliciter dicendum erit juxta illam sententiam jus gentium esse intrinsece et essentialiter jus naturale, seu partem ejus. Hoc autem ad omnia quæ de jure gentium adducuntur accommodari non potest; quia quædam continent materiam non solum necessariam, sed etiam communem brutis, ut monstrant argumenta facta; alia non solum versantur in materia propria hominum, sed etiam non continent intrinsecam necessitatem, ut ex sequentibus constabit.

8. *Excluditur etiam secunda opinio distinguens jus gentium a naturali, quod naturale sine discursu vel facillimo innotescit, alterum e contra.* — Quapropter etiam non placet modus loquendi aliquorum theologorum qui sentiunt jus gentium habere intrinsecam necessitatem in suis præceptis; solumque differre a naturali, quia jus naturale sine discursu vel facillimo discursu innotescit: jus autem gentium per plures illationes et difficiliore colligitur. Quod potest sumi ex Soto, libro 1, q. 5, art. 4, et indicant aliqui moderni Thomistæ, ita intelligentes D. Thomam, quem infra interpretabimur. Nobis igitur hæc etiam sententia non placet, primo, quia multa dicuntur esse de jure gentium quæ non habent illam intrinsecam necessitatem, ut divisio rerum, servitus, et alia quæ infra videbimus. Secundo ac præcipue, quia jus gentium nec circa prima principia moralia, nec circa conclusiones quæ ex illis necessario inferuntur versari potest, quia omnia illa sub proprio jure naturali compre-

henduntur, ut cap. 7 probatum est. Et confirmatur, nam omnia præcepta quæ a Deo sunt in cordibus hominum scripta pertinent ad jus naturale, ut sumitur ex Paulo ad Roman. 2; sed omnia illa quæ evidenti ratione deducuntur ex principiis naturæ sunt scripta in cordibus; ergo omnia pertinent ad jus naturæ. Et e converso, præcepta juris gentium ab hominibus introducta sunt per arbitrium et consensum illorum, sive in tota hominum communitate, sive in majori parte; ergo non possunt dici scripta in cordibus hominum ab auctore naturæ; ergo sunt juris humani et non naturalis. Quod si de aliquibus præceptis juris gentium hoc necessario fatendum est, ut ostendemus, non oportet jus gentium cum naturali confundere, nec propter solas illationes etiam plures ita vocare jus illud quod simpliciter naturale est: nam discursus non excludit veram et naturalem necessitatem præcepti sic cogniti, et quod discursus sit per plures vel pauciores illationes magis vel minus notas, valde accidentarium est.

9. *Tertia opinio distinguens jus naturale in eo quod obliget sine dependentia a potestate humana, e contra vero jus gentium.* — *Excluditur dicta opinio.* — Dicunt vero aliqui jus naturale comprehendere conclusiones ita necessarias, ut nulla facta suppositione societatis humanæ vel dependentis a voluntate humana, sequatur ex principiis naturæ evidenter, et has non spectare ad jus gentium: esse vero alias conclusiones quæ sequuntur etiam ex principiis naturæ necessario, tamen non absolute, sed supposita humana societate, et consideratis aliquibus circumstantiis necessariis ad ipsius conservationem, et præcepta quæ circa hujusmodi conclusiones versantur constituere jus gentium. Quod videtur posse sumi ex divo Thoma in 2. 2, loco allegato. Sed per hoc etiam non explicatur vera et propria ratio, et distinctio juris gentium a naturali. Nam multa sunt de jure naturali, quæ non obligant nec locum habent nisi aliqua suppositione facta, ut præceptum non furandi non habet locum nisi facta divisione bonorum et dominiorum. Præceptum item parendi dominis non habet locum nisi supposita servitute: justitia etiam contractuum non habet locum nisi ex suppositione commercii humani. Et ita sunt plura alia quæ manifeste pertinent ad jus naturale: nam ita sunt per se honesta, ut contraria prohibeantur quia mala, et non e contrario: ratio etiam reddi potest, quia quod conclusio sequatur ex principiis naturæ ex

suppositione talis vel talis materiæ, aut status hominum, non variat modum legis, quæ subsistit ex intrinseca rei natura, et non ex voluntate humana, sed denotat solum distinctam materiam legis; verbi gratia, lex reddendi promissum et servandi fidelitatem Deo vel homini naturalis est, et tamen non habet locum nisi ex suppositione promissionis: sic etiam in materia de simonia dicitur, vendere rem consecratam ab hominibus contra jus naturale esse, licet supponat consecrationem humano jure introductam. Ergo, licet conclusio sequatur ex suppositione, se tenente tantum ex parte materiæ præcepti, si illatio est evidens ex principiis per se notis, talis conclusio ad jus naturæ pertinet, non ad jus gentium. Ergo ut jus gentium a naturali distinguatur, necesse est ut, etiam supposita tali materia, non sequatur per evidentem consequentiam, sed per aliquam minus certam, ita ut arbitrium humanum et moralis commoditas potius quam necessitas intercedat. Concludendum igitur censeo jus gentium non præcipere aliquid tantum ex se necessarium ad honestatem, nec prohibere aliquid quod per se et intrinsece malum est, vel absolute, vel supposito tali statu et conditione rerum, sed hæc omnia pertinere ad jus naturale, ac subinde in hoc sensu jus gentium non comprehendere sub jure naturali: nec etiam ab illo differre quia sit proprium hominum: nam hoc etiam juri naturali convenit, vel majori ex parte, vel etiam omnino, si de jure et lege proprie loquendum est.

CAPUT XVIII.

AN JUS GENTIUM ALIQUID PRÆCIPAT, VEL PROHIBeat, AUT POTIUS SOLUM CONCEDAT, VEL PERMITTAT.

1. *Opinio aliquorum asserens jus gentium non esse præceptivum, sed permissivum tantum et concessivum aliquod agendi, vel e contra.* — Propter ea quæ superiori capite tractata sunt Conan., lib. 1 Comment. Jur. civil., cap. 6, n. 5, quem refert et sequitur Vasquez, disput. 157, capite 3, existimavit jus gentium, prout a naturali distinguitur, non continere sub se præcepta aut promissiones, sed solum concessionem quasdam, seu facultates, aut permissiones aliquid agendi vel non agendi non tantum impune, sed etiam juste et honeste: ita tamen ut contrarium non sit turpe vel injustum. Adduntque ulterius auctores hujus

sententiæ ad jus gentium necessarium esse ut conveniat humanæ naturæ non absolute spectatæ, sed ut jam constitutæ in civili communitate, quia multa sunt utilia hominibus, ut in communitate viventibus, quæ absolute non pertinent ad commodum naturæ secundum se. Illa ergo quæ conceduntur hominibus in communitate viventibus, propter communem utilitatem, tanquam honesta, et non tanquam necessaria ad honestatem nec tanquam præcepta, dicuntur esse de jure gentium. Nam si præcipiantur, erunt vel de jure naturali, si ex vi rationis præcipiantur, vel de jure civili, si præcipiantur ex humana voluntate potestatem habente, ut probant discursus facti capite superiori; ergo ut jus gentium possit esse distinctum, oportet ut sit concessivum, non præceptivum. Confirmatur hæc sententia auctoritate saltem negativa D. Isidori et D. Thomæ. Nam Isidorus 5 Etymolog., cap. 4 et 6, dicit jus naturale esse illud quod est commune omnibus rationibus: jus autem gentium non definit, sed explicat tantum per quædam exempla quæ concessionem tantum continent, non præcepta, ut postea videbimus, D. etiam Thomas solum dixit jus gentium positum esse ab hominibus in societate viventibus ad majorem utilitatem, quæ ex rationis discursu colligitur: non vero dixit esse positum per modum præcepti.

2. *Excluditur opinio.* — Hanc vero sententiam, ut verum fatear, non satis intelligo. Nam inquiri an loquatur de jure ut solum consistit in morali facultate utendi et non utendi, vel de jure ut significat legem, seu regulam rationis: sive proprie præcipientem, sive approbantem aliquid ut honestum. Prior sensus non est ad rem, ut ex dictis constat, nisi fortasse velint auctores illius sententiæ negare dari aliquod jus gentium, quod sit vera lex, quod non declarant. Nec possunt rationem reddere cur admittant hoc membrum juris gentium in jure, quod sit facultas utendi, et non in lege, et ex dicendis constabit esse eandem utriusque rationem. Si vero loquantur de jure, quod est vera lex, aut regula honestatis, facile etiam potest illa doctrina refutari.

3. Nam ostendo imprimis nullam esse majorem rationem distinguendi jus gentium concessivum a jure naturali, quam jus præceptivum. Quia in jure naturali multa sunt quæ honeste fieri possunt ex vi legis naturalis, quæ non præcipiuntur, nec contraria prohibentur, et ita etiam dari potest jus naturale concessi-

vum, quale est jus ducendi uxorem, jus retinendi et conservandi propriam libertatem: hoc enim honestum est, et illud jus naturæ concedit, non præcipit. Et in hoc sensu solet distingui duplex jus naturæ, aliud positivum, id est, præcipiens; aliud negativum, id est, non prohibens, ut videre licet in Covarro, regula *Peccatum*, 2 part., § 11, n. 3, et supra tractando de immutabilitate legis naturalis, illam distinctionem explicavimus: et ratio est quia ratio naturalis non solum dicit quid necessarium sit, sed etiam quid liceat. Quando ergo dicitur jus gentium dare facultatem honeste operandi aliquid, interrogo an illa facultas, ut est justa et honesta, habeatur ex ipsa ratione naturali præcise spectata, vel ex aliqua hominum consensione. Si primum dicatur, jam illud jus erit naturale, licet sit tantum concessivum. Si vero dicatur secundum, vel procedunt rationes factæ, quod illud non sit jus gentium distinctum a civili, vel si eo non obstante potest esse tale jus concessivum distinctum a civili, et quasi medium inter naturale et civile, eadem ratione poterit dari simile jus præceptivum.

4. Responderi potest illud jus haberi ex vi solius rationis naturalis; tamen non convenire hominibus absolute spectatis, sed ut congregatis in aliqua societate humana, et ideo distingui a primario jure naturali tanquam secundarium, vocarique jus gentium. Exemplis usitatis in hac materia declaratur: nam bellum, verbi gratia, dicitur esse de jure gentium, non quia præcipiatur etiam supposito justo titulo, sed quia conceditur tanquam honestum: hoc autem genus juris supponit communitatem humanam, ut constat. Item divisio agrorum, seu terrarum, ac sedium, et terminorum in communi dicitur esse de jure gentium, quæ manifeste supponit institutionem humanarum societatum, et illa supposita ex vi solius rationis naturalis omnia illa licent, licet simpliciter necessaria non sint. Sed contra hoc est primo, quia ipsamet gentium discretio et regnorum divisio est de jure gentium, ut dicitur in l. *Ex hoc jure*, ff. de Justitia et jure, et tamen ante illam divisionem non supponitur aliquid præter statum naturalem hominum: ergo non semper jus gentium oritur ex illa suppositione, sed solum ex pura conditione naturali, qua homo est animal sociale, adjuncto naturali etiam principio, quod divisio civitatum est magis accommodata ad hominum conservationem. Secundo argumentor, quia quod in hujusmodi rebus aut juribus

supponantur societates hominum, non tollit quin illud jus concessivum naturale sit, quia illa suppositio solum prærequiritur ut resultet materia talis juris: regula autem ipsa rationis antea erat, et semper naturalis est. Probat, quia jus præceptivum sæpe etiam non habet materiam in qua actu obliget, nisi supposita vita hominum in communitate et societate, et nihilominus talia præcepta semper sunt juris naturalis, ut supra probatum est, et dicti auctores etiam concedunt; ergo idem erit cum proportione in jure concessivo: nulla enim verisimilis ratio differentiae assignari posse videtur.

5. Deinde ostendo non separari jus concessivum ab omni jure præcipiente vel prohibente, et in præsentia materia si unum sit jus gentium, etiam alterum: vel si unum est jus naturalis, etiam aliud, et ita non subsistere distinctionem datam. Primum declaratur imprimis exemplo privilegii: nam eo ipso quod uni conceditur, præcipitur aliis ne usum illius impediatur, et hac ratione explicabamus supra rationem legis in privilegio: hoc autem eadem rationem habet in omni jure concessivo. Secundo declaratur discurrendo per exempla juris gentium, quæ Isidorus posuit. Primum est *sedium occupatio*, hæc enim ita est licita unicuique jure gentium, vel potius naturali, ut nemo juste impedire possit alium quamvis occupet sedem ab alio non præoccupatam, et ita illa concessio habet annexum hoc præceptum. Secundum exemplum est *ædificatio*: tertium *munificatio*, de quibus est eadem ratio. Nam repugnat aliquem habere liberam facultatem ædificandi, vel muniendi terram aut possessionem a se occupatam, et posse ab aliis juste impediri aut perturbari in usu illius facultatis: ergo est necessaria connexio inter jus concessivum et præceptivum. Quartum exemplum est *bella*, in quo id evidentius constat. Nam imprimis supponit præceptum prohibens aggressori tale bellum; ideo enim uni licet defensio, quia alter injuste bellum aggreditur. Deinde respectu ejus qui se defendit, sæpe tale jus non solum concedit facultatem, sed etiam præcipit usum, præsertim principi, qui tenetur defendere rempublicam. Et idem est de aliis, qui tenentur defendere commune bonum, vel etiam interdum propriam vitam. Si autem bellum sit aggressivum, eo ipso quod uni licet contra alterum, huic est prohibita defensio, quia tenetur parere, et jus suum alteri reddere, vel justam pœnam acceptare.

6. Quintum et sextum exemplum sunt *cap-*

tivitates et servitutes, in quibus etiam constat, si uni licet alterum in captivitatem vel servitutem redigere, etiam cogendo illum; eo ipso teneri hunc ad parendum, et non resistendum, quia non potest esse bellum justum ex utraque parte. Septimum exemplum est *postliminia*, de quo eadem cum proportione est ratio: nam est jus vel recuperandi libertatem amissam, vel redeundi ad priorem statum post exitum a liminibus captivitatis; in hoc autem jure necessario includitur præceptum vel restituendi talem hominem in antiquum jus, vel non privandi illum recuperato jure. Octavum exemplum est *fœdera pacis*; nonum *induciæ*. In quibus primo potest considerari facultas feriendi pacem, vel concedendi inducias, quæ sine dubio est res honesta de se et sæpe utilis, vel necessaria; tamen cum hac facultate conjuncta est obligatio non violandi pacis fœdera, neque nocendi hosti induciarum tempore. Decimum exemplum est *legatorum non violandorum religio*, quod aperte per modum præcepti fertur: in eo tamen distingui possunt illa duo, unum est facultas mittendi legatos ad alios principes vel provincias, aliud est præceptum et obligatio servandi immunitatem illorum. Ultimum denique exemplum est *connubia inter alienigenas prohibita*, in quo non sola permissio, sed præceptum aperte proponitur, et quia negativum est, vix in eo intelligitur aliquid per modum concessionis; quomodo autem in hoc exemplo locum habeat jus gentium paulo inferius exponam.

7. Dici potest, esto verum sit cum jure concessivo semper conjungi aliquod præceptivum, tamen sæpe esse posse diversorum ordinum: nam sæpe posito jure civili concessivo resultat jus naturale, ut posito jure concedente dominium media præscriptione, et acquisita præscriptione, resultat jus naturale prohibens accipere ab aliquo ipso invito rem quam præscripsit, et concessio privilegio ab homine, vel humano jure eximente aliquem a solutione tributi, naturalis lex dicit non esse petendum. Sic ergo in dictis exemplis dici potest permissionem seu concessionem esse de jure gentium, præcepta vero inde resultantia esse de jure naturali præceptivo.

8. Propter hanc objectionem proposui secundam partem assertionis, scilicet, in præsentia materia hoc non habere locum. Nam in simili inductione ostendi potest, quod tam concessio quam prohibitio ad alios resultans est de jure naturali, vel si aliqua earum est absolute de jure humano, potius hoc conveniat

concessionem, qua facta obligatio inde resultans naturalis est. Primum aperte, ut credo, ostenditur in quatuor primis exemplis Isidori, de sedium occupatione, ædificatione, mutatione, ac defensione per justum bellum: nam jus ad hæc omnia naturale est, id est, hæc omnia licita sunt jure naturæ: et eodem modo obligatio unius ad non violandum tale jus alterius naturalis legis est. Solum usus illarum facultatum posset dici de jure gentium ratione consuetudinis omnium gentium; at hoc ad factum pertinet, non ad legem. Idemque cum proportione dicendum est in 8, 9 et 10 exemplis de pace, induciis et legatis: nam illa omnia fundantur in pacto aliquo humano, in quo tam facultas contrahendi quam obligationes fidelitatis et justitiæ quæ ex fœdere seu conventionem nascuntur, ad jus naturæ spectant. Solus usus potest dici de jure gentium propter convenientiam omnium gentium in usu talium rerum in genere; verumtamen hic etiam usus est effectus juris, non ipsum jus, quia hoc jus non ex usu, sed usus ex jure est.

9. At vero in quinto et sexto exemplo de captivitate et servitute videtur aliquid introductum usu hominum, quod non est immediate de dictamine rationis naturalis, nimirum, quod titulus acceptionis in bello justo sit sufficiens ad detinendum alium etiam invitum et coactum, vel etiam ad acquirendum dominium unius hominis in alium, et consequenter ad introducendum servitutem in uno, respectu alterius. Nam lex sola naturalis hoc non præscribit, licet illud non vetet, supposita justitia belli. Determinatio ergo illius juris est quasi lex quædam pœnalis usu hominum introducta contra gerentes injustum bellum: ponitur enim illis in pœnam, ut captivi vel servi fiant si vincantur. Hæc autem lex sic intellecta non est concessiva, sed magis directe est punitiva, et obligat reum ad pœnam eadem proportione, qua aliæ leges pœnales civiles, de quibus infra lib. 5 dicturi sumus. Qualiscumque autem sit, quatenus de facto dat facultatem reducendi homines in captivitatem vel servitutem, positiva est, et non ex sola vi ac discursu rationis naturalis, etiam supposita institutione humanarum communitatum: ergo non pertinebit ad jus gentium quale ab illa sententia describitur.

10. Præterea idem evidentius est in octavo exemplo de postliminiis, in quo videtur esse plus de jure civili quam de jure naturali vel gentium: nam videtur esse illa quædam moderatio pœnæ captivitatis aut servitutis, vel in

universum amissionis honorum, vel deprædationum hostium, quæ maxime in bellum contingunt, quæ non est tam universalis omnium gentium, sed jura civilia maxime de illa loquuntur. Et præterea eo modo quo talis moderatio intelligitur lege constituta, non est sola permissio, sed lex vere obligans ad sui observationem: non enim est minus obligatoria lex quæ moderatur aliquam pœnam, quam lex quæ pœnam taxavit. Denique in ultimo exemplo clara est prohibitio et non tantum permissio, ne fiant connubia cum alienigenis. Præterquam quod neutro modo constat fuisse hoc jus, vel hunc usum communem omnibus gentibus, sed videtur maxime propria consuetudo fidelis populi tam in lege veteri quam nunc in nova, et ita illud potius est jus divinum, vel canonicum, et si aliquæ gentes id servarunt, magis videtur pertinuisse ad jus civile illarum quam gentium. Concludimus ergo non recte distingui jus gentium a naturali, quia unum concessivum tantum sit et aliud præceptivum: nam vel utrumque membrum in utroque jure repetitur, vel si præceptum naturale est, etiam concessio illi cum proportionem respondens ex ipso jure naturali nascitur.

CAPUT XIX.

UTRUM JUS GENTIUM DISTINGUATUR A NATURALI TANQUAM SIMPLICITER POSITIVUM HUMANUM.

1. *Jus gentium proprium non comprehenditur sub naturali.* — In quo conveniat jus gentium cum naturali. — Ex hæcenus dictis videtur concludi jus gentium proprie dictum non comprehenditur sub naturali, sed essentialiter ab illo differre, quia, licet cum illo conveniat in multis, tamen in propria morali differentia distinguuntur. Conveniunt quidem primo, quia utrumque est aliquo modo commune omnibus hominibus, ex quo capite utrumque potest gentium appellari, si in sola voce sistatur; quæ proprietas in jure naturali clara est, et ratione illius in l. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jur. videbimus jus ipsum naturæ appellari jus gentium (quod in multis legibus observandum est); proprius vero appellatio illa tribuitur juri quod usu gentium introductum est in § 4 Instit. de Jur. natur., etc. Secundo conveniunt, quia sicut materia juris gentium solum inter homines locum habet, ita etiam materia juris naturalis est propria hominum vel omnino, vel magna ex parte, ut ex dictis in cap. 17 sufficienter constare potest. Et ideo multa exempla,

quæ a juristis ponuntur sub jure gentium solum ratione hujus conditionis, solo nomine sunt juris gentium proprie dicti: nam re vera sunt juris naturalis, ut religio ad Deum, honor ad parentes, pietas in patriam, quæ habentur in leg. 2 et 3 de Justit. et jur., merito autem illa omisit Imperat. Instit. de Jur. natur. Similia sunt alia quæ ponit Isidorus, si in rigore sumantur, ut servare pacis fœdera, et inducias, et immunitatem legatorum, et similia: quo autem sensu illa intellecta fuerint ab Isidoro infra dicemus. Tertio conveniunt jus gentium et naturale, quod in utroque sunt præcepta, prohibitiones, atque etiam concessionem, seu permissiones, ut cap. 18 satis declaratum est.

2. *In quo præcipue differat jus gentium a naturali.* — Differt autem primo ac præcipue jus gentium a jure naturali, quia quatenus continet præcepta affirmativa, non infert necessitatem rei præceptæ ex sola rei natura per evidentem illationem ex principiis naturalibus, quia quidquid hujusmodi est naturale est, ut ostendimus: unde necesse est ut aliunde oriatur talis necessitas. Et simili modo præcepta negativa juris gentium non prohibent aliquid, quia per se malum sit: nam hoc etiam est mere naturale: unde ex parte humanæ rationis non est jus gentium tantum ostensivum malitiæ, sed constitutivum: itaque non prohibet mala, quia mala sunt, sed prohibendo facit esse mala. Hæc autem sunt propriæ et quasi essentielles differentia legis: ergo ita differunt jus gentium et naturale. Secundo consequenter differunt, quia jus gentium non potest esse tam immutabile, sicut naturale, quia immutabilitas ex necessitate oritur: ergo quod non est æque necessarium non potest esse æque immutabile, ut in cap. sequenti latius declarabitur. Tertio, hinc fit ut etiam in his in quibus hæc jura convenire videntur, non habeant omnimodam similitudinem. Nam in universalitate, et communitate ad omnes gentes naturale jus omnibus est commune, solumque per errorem potest alicubi non servari: jus autem gentium non semper omnibus, sed regulariter, et fere omnibus commune est, ut Isidor. loquitur: unde sine ullo errore potest alicubi non servari quod apud alios de jure gentium esse censetur. Item licet jus gentium regulariter versetur in materia propria hominum, aliquando potest aliquid disponere in materia communi brutis animalibus, ut in permittendo vago concubitu, seu fornicatione, vel in repellenda vi, quatenus aliquo modo

per jus gentium foveri aut determinari potest. Est ergo jus gentium simpliciter diversum a naturali, præsertim ratione primi discriminis.

3. *Jus gentium simpliciter dicendum esse positivum humanum.* — Unde tandem concludi videtur jus gentium simpliciter esse humanum ac positivum. Hæc assertio potest sumi ex divo Thoma, q. 95, art. 4, ubi absolute jus positivum dividit in gentium et civile, et utrumque dicit esse humanum jus derivatum a naturali. Potest tamen in his terminis esse aliqua æquivocatio, et ideo tollenda est, et verus D. Thomæ sensus explicandus. Potest enim lex humana interdum vocari, non ex auctore, sed ex materia, quia versatur circa res humanas, in qua significatione jus ipsum naturale humanum est, quia illo humanum genus gubernatur, et humanæ actiones diriguntur. Et hoc modo videtur sumpsisse jus humanum Aristoteles, 5 Ethic., cap. 7, quod ipse nominat jus politicum vel civile, ut interpret vertit. Atque ita dividit jus civile in naturale ac legitimum, per legitimum intelligens illud quod nos positivum civile nominamus. Item in hac significatione videtur sumpsisse jus humanum D. Thomas, d. q. 95, art. 2, nam illud dividit in id quod vim habet ex discursu naturali, aliud quod ex arbitrio hominum: quæ duo videntur esse jus naturale, et positivum tantum. Præterea lex positiva vocatur a D. Thoma humana, et talis ab ipso censetur omnis illa quæ ab hominibus ponitur. Eamque subdistinguit in art. 4, nam quædam est per modum conclusionis, quæ vim habet a jure naturali, quam nos dicimus esse potius declarativam juris, quam constitutivam: alia vero est per modum determinationis, quæ novum jus introduct, quam simpliciter positivam vocamus. Videtur ergo D. Thomas in dicto art. 4 loqui de jure gentium tanquam de lege humana et positiva priori modo accepta: nam aperte dicit esse per modum conclusionis, et habere suam vim a jure naturali. Et idem videtur sentire 2. 2, q. 57, art. 3, ad argumenta. Nihilominus tamen potest intelligi proprie de jure positivo et humano, id est, ab hominibus constituto: dicitur autem constitui per modum conclusionis, et non determinationis, quia ex vi juris gentium non recipit integram determinationem in particulari, sed in communi introducitur per modum illationis, non simpliciter necessaria; sed ita conveniens naturæ, ut quasi instigante natura inferatur. Et ita illum intelligit, et sequitur Soto lib. 1 de Justit.,

q. 5, art. 4, et latius lib. 3, q. 1, art. 3: et cardinalis Bellarmin., lib. 1 de Cleric., c. 29, in ultima editione. Idem tenet Covar. in regula *Peccatum*, 2 p., § 11, n. 4.

4. Neque ab hac sententia dissentiant juristæ, qui jus gentium distinguunt in primum et secundarium, et prius dicunt includi in jure naturali: posterius vero esse positivum humanum, ut videre licet in Albert. Bolognet. tractatu de Legibus et juramento, cap. 27, et Pinell. in rub. C. de rescind. Vendit. Hæc enim divisio tantum differt in usu vocis: nam in re coincidit cum doctrina data. Quia illud jus gentium primævum intrinsece naturale est, solumque denominatur gentium, quia illo gentes utuntur communiter. Hic vero proprie loquimur, quatenus ab origine et auctoritate ita denominatur, et hoc est illud secundarium quod illi fatentur esse positivum humanum. Ratione etiam convincitur hæc assertio ex dictis, quia lex sufficienter dividitur per naturalem et positivam proprie dictam, vel per divinam et humanam ab auctore utramque denominando, quia utraque membra immediatam contradictionem involvunt, ut constat: sed ostensum est legem juris gentium non esse naturalem proprie et in rigore, et consequenter non esse divinam: ergo necesse est ut sit positiva et humana. Confirmatur, quia lex naturalis est, quam non opinio genuit, sed naturalis evidentia, ut Cicero dixit: ergo omnis lex, quæ non hoc modo generatur positiva est et humana: tale autem est jus gentium, quia non per evidentiam, sed probabilitatem, et communem æstimationem hominum introducitur: ergo.

5. *In quo differat jus gentium et civile.* — Nunc autem superest explicandum in quo differat jus gentium a civili: nam omne jus positivum ab hominibus positum in ordine ad gubernationem pure politicam vocat Aristoteles legitimum, 5 Ethicor., cap. 7, et illudmet videtur vocari civile, ut sumitur ex Isidoro supra, seu cap. 1, d. 1, et sentit D. Thomas locis citatis. Dices differre quia jus civile est jus unius civitatis aut regni: jus autem gentium est commune omnibus gentibus. Sed contra hoc est, primo quia hæc differentia solum videtur secundum magis et minus, et valde accidentalis. Secundo et difficilior, quia impossibile videtur jus gentium esse commune omnibus gentibus, introductum voluntate et opinione humana. Quia in his quæ ab opinione et arbitrio hominum pendent non solent omnes rationes convenire. Nam hoc est hominum